



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 56. Rex Catholicus de Papæ consiliis certior factus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

ierant; hujus quoque terminum, cum Sæcul. XVI. A.C. 1512.  
 propediem exiret, Legatus, quem Fer-  
 dinandus apud Helvetiorum Pagos,  
 quos *Cantones* vocant, habebat, ul-  
 terius protrahi, vehementer urgebat,  
 jamque hanc in rem ingentem auri vim  
 elargiebatur; ast unica Pontificis episto-  
 la legati operam elusit: Julius enim,  
 presso animi sui proposito, Helvetiorum  
 Magistratibus hæc exponebat: si vos fœ-  
 dus cum Rege Catholico innovare aggre-  
 dimini, Veneti abs dubio nova fœdera  
 cum Gallis inibunt, hinc potius mihi  
 gratissimum foret, si Hispanicæ societatis  
 pacta renovare, aliquamdiu differre vel-  
 letis. Helvetii Papæ votis lubenti ani-  
 mo cedebant, forte persuasi, quod ipsis  
 Papæ magis quam Hispanorum amicitia  
 foret proficua.

## §. LVI.

*Rex Catholicus de Papæ consiliis cer-  
 tior factus.*

Nec minus Rex Catholicus Papæ, Cæ-  
 sarisque potentiam reformidabat, &  
 quamvis, si Galliarum Rex Mediolani Du-  
 catum recuperaturus esset, rebus suis pa-  
 rum consultum nosset, non tamen Fran-  
 ciæ Monarchiam usque adeo attenuari  
 optabat, ut illa Julio ac Maximiliano  
 G g 3 haud

**Sæcul. XVI** haud ultra timorem incutere posset, sat  
**A.C. 1513.** enim sibi compertum habebat, quod Cæsar, si a Gallorum armis penitus tutus foret, Castellæ administrationem non sine gravi Ferdinandi molestia turbare, ipsumque Neapolis Regnum invadere valeret. His accessit, quod Julius, cum omni periculo defunctus esset, haud amplius Hispanorum copiis pecunias singulis mensibus promissas suppeditaret, spe fretus, eas hoc pacto brevi recessuras, proin Italiam ab omni extero milite adeo purgandam, ut nonnisi Helvetiorum copiae superessent, quas tamen dummodo eis larga manu pecunias profunderet, facili negotio in patriam remittere posset, eo quod nonnisi quæstus spe animatæ stipendia mererentur. Ast Arragoniæ Rex, cum acrioris ingenii Princeps esset, brevi Papæ consilia assequebatur; quapropter, ut partem Navarræ regnum tueri posset, pacem cum Gallis inire, e re sua fore arbitrabatur, eo potissimum nomine, quod, si forte illi secunda vice Pyrenæos alpes superare tentaturi essent, se minime parem cerneret, ut ad repellendos eorum insultus cum numerose milite bellum auspicari valeret.